

tur Moscoviâ urbe, hîc autem hiemali tempore naſos pedumque digitos hominibus, quibusdam ipſam vitam, præ nimio gelu deperdi frequenter contingat; ibi tamen, & in vicinia, temperatum ſatis ac tolerabilem eſſe hiemalem etiam aërem teſtatur nunquam ſatis laudandus *Boylus*, ſimile diſcrimen inſuper circa Inſulam Charletoniam & Cantabrigienſem Angliæ agrum (ſub eadem communitat. 52. circiter grad.) adnotans; ſimul & aliorum celebrium nauatarum adducens teſtimonia, quibus iſti proprio experimento aſſeuerant, in regionibus octogefimo lat. gr. ſubjacentibus (Groelandiam intelligit procul dubio) arborum folia graminumq; virorem, & beſtias hiſ paſcentes reperiri; cùm ex adverſo Nova Zembla, 4. 5. & 6. grad. meridionalior, horum nihil habeat.

*PHÆN. IV.* Quanta verò notetur, eodem quoque loco, iisdem annorum diverſorum menſibus ac diebus, annuarum tempeſtatum, præfertim in Germania noſtra, varietas, quamque inconſtantes ac incertæ ſunt qualitatium elementarium, caloris puta & frigoris, humiditatis & ſiccitatis, nubilorum item ac ſerenitatis alternationes, in vulgus quoque notum eſt, diſtinctiùs autem iis comperum, qui mutationes iſtas per annos pluſculos continuos, (id quod nos ab anno 1669. ad 1675. incluſivè fecimus, deinceps notabilioribus tantùm per intervalla deſignatis) in ſingulos dies adnotârunt. Et poteſt fanè memorabile exemplum ſuperioris anni, quo hæc ſcripſimus, initium, ac præcedentis finis exhibere, tantâ nivium per univerſam Germaniam & vicinas terras effuſâ copiâ, quantam ne decrepitorum quidem ſenum memoria retrò valet aſſequi; dum ſubſequens inſperatò ultimis Januarii diebus tepor roridis ſubinde interſtinctus pluviis, ingentem earum vim omnium expectatione celeriùs diſſolveret, etiamnum ſatis miti ſequenti Februario menſe, cujus alioquin horridior haut rarò intemperies in proverbium abiit & vulgatum inter ruricolos dicterium; dum econtra præſenti hoc anno ne medio quidem Martio à glacie nivibusque liberati ſatis fuimus. Anno certè Septuageſimo ſecundo priores duæ tertiæ partes ejusdem menſis Februarii, continuo nos & valde ſenſibili urebant frigore, cùm antecedens Januarius circa ſui medium vernâ prorsus ac temperatiſſimâ ſerenitate arriſſet; quali ejusdem menſis initium anno 69. ſeſe commendaverat, finem verſus demum increſcente frigoris vehementiâ: quemadmodum à 6. Jan. 1670. ad 16. uſque incluſivè calor aëris notabilis regnabat, &

per